

**DISPUTATIO PHILOSPHICA,  
De  
DIFFERENTIIS  
VIRI BONI ET  
MALI,**

*Quam*  
**DEO AUXILIANTE,**

**P R A E S I D E**

**M. G E O R G I O Q U E C C I O,**  
in Incluta Noricorum Altdorphenâ Phi-  
losophiæ Moralis & Linguæ Græcæ  
Professore Publico,

*Academici Exercitij ergò, pro virili suâ publicè  
defendere conabitur.*

**ANDREAS LUDOVICUS**  
Lucenâ - Misnicus.

*Addiem 29. Martij h.lq. consuetis.*

**A N N O**

---

**M. D C. XXVIII.**

*ALTDORPHI*

*Typis descripsit Balthasar Scherffius,  
Universitatis Typographus.*

*a. MCL. 48.*

*M. V. t.*

*F. XI 28.*

*oll. diss. A  
1, 48*

Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo & Prudentissimo

V I R O

DN. CHRISTOPHORO FÜRER,  
ab Haymendorff. Inclutæ Reipub. Norim-  
bergensis Triumviro, & Universitatis Altdor-  
phinæ Curatori longè di-  
gnissimo:

NEC NON

Spectatissimis atq; Integerimis Viris

DN. MARTINO PELLER,  
DN. BARTHOLOMÆO VIATIS

Civibus, ac Mercatoribus inibi primariis:

Patronis, Mecænatibus & Promotoribus suis summâ animi  
observantia æternum colendis.

Hoc studio ac stadio fas cernere, Mecænates  
O magni, quis sit vir bonus atq; malus.

Hoc studio ac stadio exiguae intendere vires  
Ingenij, fas est, more, modoq; loci.

Hoc studio ac stadio Aoniarum à Präsidererum  
Eximie gnaro ducor amore, manu.

Hoc studio & stadio in Sophies Gymnasma Lyceo,  
Tutari hoc animus de viro utroq; mihi est.

Hoc vobis magni nunc offero Mecænates:  
Ut faveat studiis gratia vestra meis.

ANDREAS LUDOVICUS  
Respondens.





DISPUTATIONIS  
De  
DIFFERENTIIS VIRI  
BONI ET MALI,  
THEISIS I.

**B**X magno illorum numero, quæ ingens inter virum bonum & malum discrimen constituunt, nobis, hâc vice, de iis tantum *Διάσκεψιν* instituere propositum est, quæ insigniora sunt, interq; cætera maximè eminent & apparent. Quæ, ut investigemus, hâc ingrediamur viâ.

II.

Non modò sapientum omnium consensu, quem haud absurdè cum Cic: naturæ ipsius vocem dixeris, sed sacrarum etiam literarum oraculis comprobata sententia est: *Naturam in efficiendis operibus suis, summam illorum sibi propositam habere perfectionem: utq; ad optimum, quām capere possunt, statum ea perducat, omnes adhibere molitiones suas.*

III.

Notum enim est Aristotelis illud i. Ethic. c. 9. *Ωχα-  
Φύσις ὡς ὅιόν πε κάλλισται ἔχειν, γέτωπί Φυκεν*, id est, res naturales, ut pulcherrimæ vel optimæ esse possint, ita à naturâ procreatæ sunt. Item. Gen. i. *Quicquid Deus fecerat, bonum erat valdè.*

A 2

Quod

*IV.*

Quod, ut nemini dubium est; ita neq; illud quenquam iniciaturum arbitramur: Rem unam quamq; cum deum recte, & secundum naturam se habere, cum optimum illum, quem natura intendit, seu perfectionis suæ statum consecuta est, & obtinet.

*V.*

Jam ergo, cùm ex ratione ipsâ, & sapientum omnium suffragiis, cuiusq; rei in se perfecta, & ad summum perducta natura, nihil aliud, quàm illius virtus sit: perspicitur ex universo generis humani cœtu, solum VIRM BONUM, cuius propria possessio virtus est, quiq; in officiis illius omnium actionum & vitæ suæ proram & puppim constitutam habet, naturæ convenienter affectum esse.

*VI.*

Quod si admittimus, effugere non possumus, quin hominem improbum, & vitiis contaminatum, modo, naturæ penitus contrario & repugnante affectum esse concedamus: adeoq; monstrum verius, quàm hominem existimandum: & iis quidem monstris, quæ ob enormem aliquam corporis, aut partium illius deformitatem abhorremus, tanto abominabilius, quanto majus & gravius ab illius consuetudine & convictu hominibus aliis, rei q; publicæ periculum est.

*VII.*

Omnium enim, quibus cor sapit, confessione constat, nullam omnium, quæ homini accidere possunt, calamitatum, aut detrimentorum, cum virtutis & morum bonorum jacturâ (quam eos, qui improborum

utun-

utuntur conversatione & commercio, facere, utinam, negari possit!) vel magnitudine, vel gravitate, ullam ex parte comparari posse.

VIII.

Id quod facile nobis concessuros putamus eos, qui  
damna & detrimenta illa, quæ in fortunæ muneribus  
accipiuntur, noxam eam, quæm inferunt, terrenæ fo-  
lùm corporis nostri massè inferre expenderint. Morum  
verò corruptionem, ipsum animum, partem nostri no-  
bilissimam pessundare: hominemq; ad humanitatem,  
& aliorum tām publicas, quæm privatas utilitates au-  
gendas à naturâ factum, bestiis ipsis capitaliorem ac  
docentiorem efficere.

IX.

Nam cùm homo, à jure & justitiâ remotus, ratione  
ac mente, veluti armis quibusdam, quibus nocere aliis  
possit, instructus sit: sine injuriâ eum bestiis, quæ armis  
hunc carent, peste ac pernicie ante cellere dixeris.

四

Et hoc primum inter virum bonum & malum discrimen est: quod qui cognitum habet, nec illius consideratione animum, ad vitia quidem fugienda, virtutem verò persequendam inducit: Quid aliud, quam monstris sese non verò perfectis naturæ operibus accenseri malle declarat?

X I.

Quin ex eo etiam hanc viri boni cum naturâ congruentiam, improbi verò ab eâdam discrepantiam, perspicere licet : quod, cùm provida salutis humanæ sapientia divina, cuilibet animanti singularem quen-

dām ergā seipsum amorem inseverit, quo ad sui quidem tuendi, ea verò, quæ nocitura videntur, evitandi & declinandi studium excitetur, amor iste in solo viro bono liquidus & purus reperitur: adeoq; solus ille sibi amicuſ est: improbis verò nihil æq; infestum atq; inimicum, quām ipsi ſibi.

XII.

Nam cūm secundūm Poëtam, idem velle & idem, nolle, ea demum vera amicitia ſit: quiſnam viro bono arctiore amicitiæ vinculo, quām ipſem et ſibi colligatus reperietur? Cūm in nullo, qui omnibus ſeculis claruerunt, ſummo rum amicorum exemplo, majorem animi & voluntatis conſeffionem, quām in eodem illo viro bono deprehendere liceat.

XIII.

Ut enim is perpetuò ſibi conſtat, eademq; ſemper illi tūm bona, tūm mala, jucunda & injucunda, honesta & in honesta ſunt; ita idem ſemper de iis judicium retinet: nec quod heri, ut bonum & honestum amplexus fuerat, hodiè deſultoriā quādam animi levitate, ut noxiū aut turpe repudiat: Sed eandem perpetuò characteris ſui figuram, ſecundūm Simonidem conſervat.

XIV.

Nec verò ad RATIONEM ſolam hæc judicii & ſententiæ conformitas & ſtabilitas pertinet, ſed ad cæteras quoq; animi facultates ſeu partes extendit.

XV.

Nam cūm animi perturbationes & appetitiones in viro bono virtutis magisterio ac disciplinā, recteq; a-gendi conſuetudine ac perpetuitate, domitæ & manſuefa-

suefactæ jam sint, & rationi rectæ dicto audientes redditæ: nullum unquam ab hâc, ut sic loquar, edictum, proponitur, ad quod excipiendum, effectumq; dan- dum præsto non sit appetitio, & instar militis boni, ad capessenda regis aut imperatoris sui mandata, expedi- tam & alacrem sese præbeat.

### XVI.

Hujus verò affectionis quidnam in homine impro-  
bo simile reperias? Cujus nunquam sibi constant judi-  
cia: Sed ut nubes pro ventorum varietate in varias fe-  
runtur aëris regiones: ita hic aliam ex aliâ subinde ap-  
prehendit sententiam: & quæ plenis modò velis expe-  
tiverat, mox defervescente cupiditatis æstu, ut rem fœ-  
dam & putidam fastidit: & quæ modò fastidiverat,  
mox ut saccharum & mel merum exosculatur: alter-  
nasq; inter cupiditates & pœnitentiam experitur vices  
ceræ haut absimilis, quæ ut sapientissimi scriptoris u-  
tamur verbis, signantium characteribus subinde ce-  
dens, pro illorum formâ & imagine figuratur: can-  
demque tamdiu retinet, donec alio superpresso si-  
gnaculo reformetur: nec unquam in qualitate suâ per-  
sistens, ad formam eorum, quæ imprimuntur, semper  
convertitur.

### XVII.

Accedit, quòd perpetuâ quâdam veluti seditione  
hominis improbi, vel, si mavis, incontinentis agitatul-  
animus: aliò scilicet ratione illum vocante, & ad opti-  
ma semper hortante: cupiditatibus verò, in contrari-  
am partem retrahentibus: haut aliter, quam ἡ οὐρανού  
πεντε πόσιμα τρόποι, ut Philosophus loquitur, aliò  
morbi vis impellit, aliò ægrotantis voluntas movere  
insti-

instituit: Aut Hippolyti equi, dæmoniaco imprecatio-  
nis Theseæ furore concitati, rectote incasum relu-  
stante, & à præcipiciis in loca plana retrahere eos anni-  
tente

— — — per scopulos, & confraga densis  
Arboribus dumeta — — —  
currum abripiunt, rupibusq; & saxis hinc inde al-  
lisum, cum vectore ipso frustulatim confringunt, &  
commiuunt.

### XVIII.

Ex quâ animi & partium illius in bono quidem vi-  
ro confessione, in malo verò distractione ac dissidio,  
sicut in illo quidem manifesta est amicitia illius nota,  
quâ idem velle ac idem nolle dicuntur, in hoc verò nul-  
lum illius vestigium appetet: ita in eodem illo amicus  
erga seipsum animus: in hoc verò à seipso quam ma-  
xime aversus & alienus, perspicicuè cernitur.

### XIX.

Cui rei hoc etiam fidem facit, quod cum animi im-  
perio, corporis autem servitio, ut historicus loquitur,  
magis utamur: idem animus, tūm imperii hujus ratio-  
ne, tūm aliis ex causis præcipuam & primariam homi-  
nis partem constituit.

### XX.

Quod cūm ita sit, intelligitur, sicut Rerum publi-  
carum formæ, ex eâ parte censi & appellationem  
fortiri solent, quæ principatum in iis obtinent: ita & ho-  
minem ex hac primariâ sui parte æstimandum, adeoq;  
animo non corpori appellationem hominis tribuen-  
dam esse,

dītatum.

**XXI.**

Præsertim cùm id demum ab homine factum dicatur, quod quis ratione & mente, non verò, quod cupiditatum & perturbationum æstu abreptus, egit.

**XXII.**

Quod cùm ita sit, manifestum est, eum, qui animum suum quàm maximè amat, seipsum maximè amare, sibiq; maximè amicum esse.

**XXIII.**

Jam ergò, cùm virum bonum omne studium in eo collocare perspicuum sit, ut virtutis exercitatione & cultu animum suum quàm optimum efficiat, nec quisquam ulli reitancum operæ & laboris impendere soleat, cujus eximio amore non teneatur: Ecquis eum flagrantissimo animi sui, hoc est, sui ipsius amore teneri negabit? aut improbum, qui vitiorum luto animum suum contaminat, vel, ut rectius dicam, perdit & perfundat, vel micam veri ergà seipsum amoris habere affirmabit?

**XXIV.**

Maximè cùm virum bonum etiam lubenter secum ipso agere, & versari, maximamq; ex eo voluptatem capere omnibus constet: quæ voluptas optima τὸν διαγωγῆς, & convictus hujus conciliatrix, & cum verâ, perfectâq; amicitiâ individuo nexu colligata est: ab improbo verò homine, immane quantum remota.

**XXV.**

Ille enim cùm vita laudabiliter actæ conscientiâ fruatur, easq; molestias & difficultates, quæ cum virtutum actionibus, ante acquisitum earum habitum, obvaria impedimenta conjuncte, voluptatem earundem,

B

descio

nescio quā amaricie inficiebant, jam superatas & remotas esse: honestatis verò decus, præteritis virtutum actionibus partum, perpetuum sibi comitem habitum intelligat: fieri nequit, quin summā ipsius animus voluptate perfundatur.

### XXVI.

Quām quidem tantò majorem ipsi suavitatis sensum imprimere statuimus, quantò purior & sinceror est illa, quæ præsentem virtutis ~~comitabatur~~ comitabatur, omniq; molestiarum permisso & concretione vacat.

### XXVII.

Cumq; vita naturis omnibus longè dulcissima sit, fieri non potest, quin rectè factorum memoria, per quam vir bonus vitâ jam exactâ de novo quodammodo fruitur, illiusq; spaciū secundū Poëtam, ipse sibi ampliat, duplicatam ipsi voluptatem repræsentet.

### XXVIII.

Quam eandem in signi accessione spes bona de futuris eventibus auget: cuius virum bonum præ improbo & conscelerato maximam habere prærogativam, & vitæ communis usu, & experientiæ quotidianæ testimoniō constat.

### XXIX.

Cæterū, quām gratam & optatam viro bono hanc secum ipso conversationem ac συνημέρωσιν conscientiæ puræ tranquillitas, & spei de futuris eventibus jucunditas efficit: tam insuavem contra, ne dicam invisam, homini improbo eandem reddit criminum & facinorum admissorum recordatio. Quæ in summâ etiam impunitate, divini judicij & suppliciorum metu, tanquam

quam infernarium furiarum facibus & stimulis ani-  
mum illius fodicat : quorum vim nullius mortalium  
potestas effugere potest.

XXX.

Quemadmodum enim, qui telo venenato, quod ex-  
trahi è corpore nequeat, confixus est: quamdiu lethalis  
arundo ipsius hæret lateri, nullum temporis momen-  
tum dolore vacuum habet: Adeundum modum, cuius  
animo turpitudinis venenum vulnus mortiferum infli-  
xit, nihil sub sole est, quod, experge factâ tandem con-  
scientiâ, à dolore & pavore liberare illum possit.

XXXI.

Nam tametsi aliqua fortè ab anxietate remissio in-  
terdum illi contingat, qualis febri malignâ laboranti-  
bus quandoq; à paroxysmo contingere solet: subinde  
tamen malum hoc recurrens majore ac vehementiore  
impetu in animum irruit; adeò, ut phreneticorum mo-  
re ne dormientes quidem conquiescant: sed insomniis  
etiam horrificis agitantur & vexentur. Quin eorum  
dem etiam vigilantium sensus veluti fascino quodam  
ita nonnunquam deludi vides, ut quæ neq; vident,  
neq; audiunt, tamen liquidò se videre & audire Jovem  
lapideum jurare parati sint.

XXXII.

Nobile hūus rei exemplum Nero Claudius apud  
Suetonium nobis præbet, qui, cùm Agrippinam ma-  
trem, quod' facienda ipsius ex quirere & corrigeret so-  
leret, ne fario parricidio interfecisset, quamvis & mili-  
tum, & senatus, populiq; Romani approbatione & gra-  
tulationibus cædes illa rata haberetur: tantis tamen  
conscientiæ afflictatus est angoribus, ut maternâ specie  
& ardentibus furiarum cædis indefinenter se infestari

B 2

qui-

quiraret, & ubi cunq; versaretur, tubarum sonitus,  
classicum horrifico tumultu canentium, se audire cla-  
maret: horrendisq; dirarum insectationibus divexari  
antè non desierit, quām, partibus carnificis occupatis,  
ferro per jugulum suā ipsius manu adacto, infelicem  
animam exhalārit.

**XXXIII.**

Nec multū ab hoc Theodorici Beronensis, Got-  
thorum regis, abludit fatum. Qui cùm Symmachum  
& Boëthium, viros eximiæ virtutis & eruditionis me-  
ritò principem dignitatis locum in Senatu Romano  
consecutos, Sycophantarum calumniis inductus occi-  
di mandāset, in eosdem conscientiæ malæ cruciatus &  
& tormenta incidit.

**XXXIV.**

Nam cùm haud longè pòst, à cædium istarum pa-  
tratione, piscis aliquantò grandioris caput illi cœnanti  
appositum fuisset: narrat Procopius, repente illum  
terrore, veluti fulminis vicini casu, perterritum & con-  
sternatum refugisse: illudq; Symmachi esse caput cla-  
mitasset, quòd inferiore labro mordicūs apprehenso  
truculentis illum oculis intueretur. Eoq; ostento pave-  
factum & mortifero corporis languore ac tremore cor-  
reptum, in cubiculum sese proripuisse, scelusq; in viros  
præstantissimos & innocentissimos à se patratum ultò  
confessum, nec multò pòst tabifico mœgore consum-  
tum expirasse. Adeò nimirum crudelis & improbi faci-  
noris conscientia oculos ipsi fascinaverat, ut, quod pi-  
scis erat, ipse hominis à se interfecti caput esse conten-  
deret.

**XXXV.**

**Nec relata indigna videtur mirabilis planè à que-  
dam,**

dam, cui Besso nomen fuisse Plutarchus refert, divinitus expedita ultio: qui, cum patrem clam necasset, & annos complures sine omni criminis suspicione exegisset, die quodam, cum ad cœnam, quam cuidam ex familiaribus suis condixerat, proficeretur, nidum hirundinum, ad quem fortè fortunâ via ipsum deduxerat, hastâ incussâ dejecit, pullosq; inde exturbatos pedibus conculcavit & obtrivit: ejusq; in miserias & innoxias aviculas sævitiæ causam à comitibus rogatus; Annon auditis, inquit, scelestas bestiolas de me vociferari, & patris interfectorem me proclamare?

XXXVI.

Atqui, non hirundinum, sed conscientiæ illius hæ voces erant: quæ ipsius animum dies noctesq; furialibus stimulis fodicandi finem antè non faciebant, quàm proprij oris indicio ipse met, tanquam forex, se proderet: & malam rem, à legibus in parricidas constitutam, suo ipsius, quod ajunt, jumento sibi attraheret.

XXXVII.

Nec verò est, quòd eos tantùm his conscientiæ cruciatibus obnoxios esse arbitremur, qui parricidij, ejusdem vè atrocitatis scelerum aliorum vulneribus eam concisam habent; Omnis enim plena exemplorum ætas est, quæ nullam penitus fraudem aut facinus esse docent, ut ut auctorum illorum opinione leviculum fortè videatur, maximisq;, ut Seneca loquitur, à fortunâ exornetur muneribus, cuius conscientia, occultis fortè, at perpetuis tamen iictibus animum verberet, ipsi q; secundati diffidere cogat.

XXXVIII.

Ex his, quæ de conscientiæ, in utramq; partem, yi diximus, constare de eo arbitramur, quod docere pro-

positum fuerat, viros bonos lubenter & cum voluptate secum ipsis vivere & versari: Improbis vero hanc secum ipsis ~~διαγωνίν~~ dividiae & tædio esse: Unde eos, quod à malefactorum cogitatione animum non nihil obdudant, sequi ipsos quasi effugiant, aliorum subinde ejusdem farinæ hominum sodalitia sectari videmus.

XXXIX.

Cum autem ab amicitia veræ naturâ, ut illius, quem ames, consuetudinem & convictum fugere & declinare cupias, longissimè absit: in quâ ut semper grata & jucunda; ita semper etiam desiderabilis est illius præsentia & conspectus: Quisnam est, qui soli viro bono veræ erga seipsum amicitia rationem competere: improbos vero usq; quaq; illius expertes esse dubitet?

XL.

Ex quo porrò etiam illius quidem affectionem naturæ per omnia consentaneam esse; horum vero, ~~δις~~ ~~πατῶν~~ ab illâ discrepare perspicitur. Cujus discrepantiae nulla alia effugiendi ratio est, quam si virtus & imprebitatem ~~διαπεμψεις~~, ut Philosophi habet verbum, omniq; contentione fugiendam, virtutem vero, & vitæ innocentiam ac modestiam unicè amandam & persequendam statuamus.

Π ΑΡΕΡΓΑ.

I.

**Q**uod L. Vives in Introd. ad Sap. Aphor. 67. & 211.  
Neminem extra animum quicquam suum dicere affirmat: aut ~~τοῦ θεοῦ~~ ~~τοῦ καιρού~~ τοῦ λέξεως nobis committere: aut Rebus publ.

bispubl. totiq<sup>z</sup> humanae societati natio[n]e[n]e ex[i]as; sententia illâ, si  
recipiatur, afferre videtur.

II.

*Idem, cùm Aphor. 22. gloriam esse dicit, BENE audire de  
virtute: Non capimus, quo jure gloriam nihil aliud, quâm va-  
nam aurum inflationem esse dicit Aphor. 55.*

III.

*Dignates sic appellari posse, utut indignissimis quoq[ue] con-  
singant: Quod negat idem Aphor. 54.*

IV.

*Quòditem Aphor. 56. de honore & dignitate, nihil ad  
eum pertingere ait, de quo sunt, nullâ ratione concedi posse arbi-  
triamur.*

V.

*Nobilitatem, honores, potentiam, dignates, ex priscâ ho-  
minum persuasione, quam Christus animis suorum ademerit, na-  
ta & relictâ esse, & in Christianos homines in vecta, tanquam  
bolium. quod hostis diabolus bona DEI segeti asperserit: Nec sa-  
cra, nec profana Philosophia & convenienter ab eodem dici videri,  
Aphor. 60.*

---

Ornatissimo, Eruditissimoq[ue]

DN. ANDREÆ LUDOVICO,  
de Differentiis viri boni & mali  
Disputanti.

CUR, ANDREA, mali atq[ue] boni discrimina Doce,  
Disquirenda viri publica quæso doces?

Nempe

Nempe quod ille, malus dum dicitur, obstruat aures,  
Et veniat dulci nomine saepe boni.  
Ergo virum defende bonum, defensio fortis  
Fama sit ista tibi, sic macula ista malo.  
Hic sice vades, quem nominis exigit omen,  
ANDREAS nomen, vir bonus omen erit.

*Calta affectus ergo*

F.

JOHANNES GUNDERMANNUS  
Hilperhus. F.

Ad Ornatisimum & Doctissimum

## DN. RESPONDENTEM.

Vls inter reprobūm discrimen, & inter honestūm,  
Hac & de causa pulpitā docta petis?  
Quærere nil opus est longis ambagibus: adsunt,  
Quorum viva brevem monstrat imago viam.  
Estis enim, (PRÆSES Vir præclarissimus, & Tu  
LUDOVICE) Viri satq; superq; boni.  
Proin facile adversam fuerit cognoscere partem:  
Sunt mala nota fatis, si benè nota bona.  
Sed qnōd es Aonium certamen inire paratus?  
Umbo sit ingenium, judicium galea.  
Electat in obsequium contra facundia-euntes.  
Hosq; refutatum mentis acumen eat.

*Gratalab.*

F.

Wolffg Wilhelmus Schnabelius  
Fabrimola-Palat.

*equum*      **F I N I S.**

Coll. diss. A. 91, nr. 48